

# HIERONYMI CAGNOLI

PATRICII VERCELLENSIS,  
IVRIS CONSULTI CELEBERRIMI,  
omnium sacerdorum doctrina & virtute facile Principis,  
& Serenissimi Ducis Biturigum, Allobrogum,  
Subalpinorumque Senatoris,

## COMMENTARIA DOCTISSIMA

In primam & secundam Digesti Veteris, & Codicis partem, maximeq;  
in quatuor ordinarias, ut appellant, lecturas matutinas; omnibus  
quidem tam in Gymnasiis, quam foro versantibus  
perutilia admodumq; necessaria.

Hactenus in lucem non edita.

Cum summaris in suis locis adiectis, & Indice alphabetico  
longe quam locupletissimo.

C V M P R I V I L E G I I S.



VENETIIS APVD IVNTAS  
M D LXVI.

ILLVSTRIS. AC REVER.<sup>mo</sup>  
S. R. E. CARD. GVIDONI FERRERIO

IOANNES MARIA IVNTA. S. P. D.



V A E res immensam apud homines homini gloriam conciliant; eadem, mea quidem sententia, solidiorem quoque eam felicitatem comparare facilimè possunt, quæ perpetuitati coniuncta in summi Dei intuitu posita est: neq; si recte sentiamus, aliud est quod Deo, aliud quod sapientibus hominibus placet. Nam, quum uiuendi nobis duplex insit ratio, altera quæ in rerum contemplatione, altera quæ in agendo uersatur, siue unam siue alteram sequamur, de uirtute studium est, atq; in hoc Dei optimi sapientissimi naturam æmulamur, dum multa scire, dum iustitiam, prudenciam, modestiam, liberalitatem, & uirtutes alias in agendo exercere contendimus: quæ omnia & Deo ipsi gratissima esse certo scimus, & à sapientibus æque ac rudi bus, optimis & improbis hominibus expeti quotidie animaduertimus. Sanè quid familiam tuam FERRERIE Illustrissime ad eam gloriam euexerit, in qua amplissima nunc & clarissima cum bonorum omnium plausu posita est, non est, ut sumpto longinquius principio tibi explicem: illud solùm in medium reuocabo, quod mihi frequenter in mentem uenit, Cardinalium Bononiensis & Hyporegiensis qui auo tuo fratres fuere, & rursus Hyporegiensis alterius ac Ferrerii, patruorum tuorum laudes, & demum tuam ipsius gloriam. Consentit certè totus orbis, ex uirtutibus, ex præclarè factis, ex meritis has laudes & hanc gloriam effluxisse. Quis enim ignorat quantum & rerum intellectione & in agendo prudentia, ac recta & inculpata uiuendi ratione maiores tui Cardinales valuerint? magistratus profectò (quod dici solet) ostendit uirum. At uero quid de te ipso dicam, quem uix in trigesimo ætatis anno constitutum Vercellensem Episcopum, mox apud Remp. Venetam pro Pontif. Max. Oratorem, de hinc Cardinalem uideo? Confirmant hæc me in superiori sententia, idem apud Deum Opt. Max. gratiam, & apud homines gloriam conciliare. Te enim quid in magnorum principum, præsertimq; Romani totius Collegii, & Reip. Venetæ gratiam posuerit, & in isto ampio subsellio collocauerit, in quo tantam Christianæ reip. partem refers, res est manifesta omnibus: nempe hæc uirtutum tuarum meritis esse assequutum. nota est enim pietas in primis erga Deū, uita Christiano homine digna, in magnis tractandis rebus dexteritas & singularis prudentia, quæ omnia & Deo à quo primùm emanant, sunt gratissima, & hominibus admirabilia. Quid autem de humanitate & modestia tua dicam? Quid reliqua præstantis animi atq; ingenii bona commemorem? Hæc totus orbis & cognoscit & experitur & prædicat. Hæc FERRERIE Opt. & alios, & nos ipsos in tui uenerationem summopere excitarunt. Nunc autem, quando in me tibi nullo usu aut consuetudine notum, te præstistit tam munificum, ut celeberrimi illius Cagnoli Iucubrationes, quas in thesauris tuis habebas, dono mihi dederis, & publico studiosorum commodo, prælo ut excludam, suaseris; tam arcto me tibi ser-